



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Cap. I. An, quando, & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

ricordiæ DEI. *S. Thom. q. 20. a. 3. Laym. l. 2. t. 2. c. 2. n. 3.*

III. Mortale etiam est, præsumere de misericordia DEI, v. g. cum quis sperat id, quod est impossibile secundum legem Dei ordinatum, ut si speres remissionem peccatorum, & salutem sine pœnitentia, vel per propria merita, & vires naturæ; vel etiam si quis statuat perseverare in peccatis, quamdiu bene valet; & tamen speret se acturum pœnitentiam ante mortem. *S. Thom. q. 21. a. 1. Lay. l. c.*

Denique mortale est, odisse Deum, (odio scilicet abominationis seu aversionis) v. g. si Deus displiceat tanquam nobis infestus, propter vindictam peccatorum, *v. Lay. l. c. Bon. di. 3. q. 3.*

## TRACTATUS III.

### De Præceptis Charitatis.

#### CAPUT I.

*An, quando, & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei?*

**C**haritas DEI, est amor amicitiae, quo DEO bene volumus, & omnia bona ipsi cupimus, ob summam & infinitam ejus divinæ naturæ perfectionem.

Resp. I. Præceptum Charitatis Dei præcipit Deum super omnia amandum. Patet ex *scriptura*. Ratio est, quia finis ultimus plus est diligendus, quam omnia media quæ ad eum referuntur:

non



non quidem intensivè, ( etsi enim hoc etiam deceat, non tamen est in præcepto ) sed appetitativè, ita ut nullam creaturam pluris facias, quàm Deum: velisque potiùs omnia perdere, quàm Deum offendere, & sic illi malè velle. *S. Tho. 2. 2. q. 27. a. 3. Az. Sanch. Bec. 2. 2. c. 19.*

Resp. II. Probabile est, præceptum Charitatis Dei obligare. I. Quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinitè boni, à quo omnia sua bona habet, & cui omnia debet, Ratio est, quia cum teneatur DEO ex filiali amore tota vita servire, id non videtur posse fieri, nisi eliciat actum amoris. *Ita S. Thom. q. 89. art. 6. Navar. Valentia, &c. comm.* (Notat autem *Kön. disp. 24. d. 3. n. 50.* non statim post talem notitiam peccare mortaliter, sed tantùm, si differat notabiliter, v. g. ultra annum) contra *Palaum*, qui dicit probabile esse, quòd non obliget. Si scrupulus te angat, an præcepto huic satisfeceris, docet *Escobar*, ex *Petro Hurt. 2. 2. di. 172. s. 1. §. 24.* quòd, si positivè non meministi te omisisse, tenere possis, te satisfecisse. *Trull.* tamen *l. 1 c. 5. d. 13. n. 9.* monet expedire, ut quis se in confessione aliquando accuset sub dubio, si forte præceptum istud violarit, vel alia præcepta affirmativa, de quibus non certò constat, quando obligent, vel violentur. II. Quando est periculum labendi in odium Dei, nisi actum Charitatis elicias. III. Quando quis tenetur conteri, v. g. moriturus, aut celebraturus, cui Confessarius deest. Ratio, quia contritio includit actum Charitatis. IV. Si quis gravem tentationem, præsertim in articulo mortis, putet se

. v. s. alex. VIII.

aliter



aliter vincere non posse. Quibus aliqui addunt articulum mortis absolute, eo quod tunc securissima via eligenda sit. *v. Lay. l. 2. t. 3. c. 2. Bon. d. 3. q. 4. p. 2. Hurt. d. 2. 2. di. 174. f. 6. d. 27.* Ex dictis resolves,

I. Mortale est, si quis omittat dilectionem Dei tunc, quando preceptum obligat.

II. Mortaliter peccat etiam, si quis amet Deum amore appetitativè seu æstimativè minore, quam creaturas.

III. Peccat item contra Charitatem DEI, si quis Deum non diligat principaliter propter se, tanquam finem ultimum omnium rerum, sed tantum propter aliud, v.g. vitam æternam, vel ad evitandum infernum. Quod esse mortale, docet *Sylv. & Nav.* quia scilicet Deus non diligeretur appetitativè super omnia; si aliud ab illo amaretur, ut finis principalis. Addo, *principalis*, quia ut bene *Tolet. lib. 4. cap. 9.* DEUS propter retributionem vitæ æternæ amari potest, sed minus principaliter, ut scilicet vita æterna, vel alia DEI dona, sint tantum causa movens, ut facilius, expeditius, & ferventius diligatur.

IV. Mortale, & gravissimum omnium est, si quis DEUM formaliter oderit odio inimicitæ, seu malevolentæ (amore amicitæ opposito) v.g. si optes DEUM non esse, non habere scientiam, potentiam, &c. De his *vid. Laym. l. c. Bon. l. c.*

*Sanch. lib. 2. cap. 3. & 5, Regim. lib. 17.*